

D.O.M.S. (Deo Optimo Maximo Sacrum)

Hic situs est vir Pius atque Reverendus Dominus Nicolaus Eschilli primus repurgatae veraeque Religionis Confessor & Pastor in Herestad, Primusque Clericorum per OstroGothiam legitimae Uxoris maritus quam duxit Wadstenis an. Domini 1536, multum sed nequidquam obstantibus Monachis, quos militum praesidiariorum opera a vi quam intentarant, arcere necesse habuit. Repetitis tamen saepius insidiis fatigatus, Pastor esse maluit hujus Normeloesanae Ecclesiae, quod an. 1553 est factum, quam cura vigilantiaque cum rexisset summa, tandem anno 1570 pie obdormivit. Corpus ejus cum defunctae Uxoris corpore Christi resuscitaturi vocem hic expectat. Filium reliquit successorem Reverendum celebremque virum, Dominum Johannem Nicolai Husenbergium natum Husbergae in villa pastorali anno 1540, qui sacris politicisque studiis domi forisque summa cura diligentiaque deditus, annoque aetatis suae XXIV inordinem sacerdotum receptus, patri aetate curisq, fracto suppetias tulit. Mox Regi Erico XIV propter rerum civilium prudentiam juxta & literarum decenter pingendarum artem factus notior & in aulam evocatus, Secretarius Regius est constitutus quo in munere Regibus duobus Erico XIV & Johanni III fidem & dexteritatem suam plurimum probavit, ita ut & titulos Nobilitatis el offerent; quos amore sacerdotii repudiavit, Ecclesiaeque Normaeloesae praetulit praeesse, quam ab anno 1571 sibi creditam pietate fideque rexit summa, simul & Uxorem suam Sigridem Nicolai filiam charitate singulari dilexit. Obiit anno 1617, Pastor hujus Ecclesiae per annos XLVI atque hic cum Uxore parentibusque placide quiescit.

Avskrift från gravstenen vid besök i Normlösa kyrka.

September 2005 , Kurt Carlsson